



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 241. Dicentes: Vere filius Dei erat iste. v. 54.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

nitentiam satragam pertrahere, docere & informare uti S. Bonifacius.

§. 239. *Centurio autem & qui cum eo erant custodientes Iesum. v. 54.*

Hic centurio erat cum sua cohorte in monte Caluarie destinatus per Pilatum, & Principes Iudeorum ut ab omni tumultu coerceret populum, & custodiret Iesum, donec mortuus in Cruce, & statutum esset de corpore quid ei esset faciendum. Verum hi miseri nescierunt primo quid custodirent, mox beati facti ab ipso, quam custodiebant, agnouerunt, dum se suo Centurione, indubie uno e Romanis, ad quos iam tum gratia Christo a Iudeis deflexit.

O Utinam & ego tantam curam haberem tui, mi Iesu, in bono, quantum hi Principes in malo, ut te custodirem, mecum semper in ore & corpore ferendo, ore laudando & benedicendo, corpore & corde tenendo & amando, & nunquam dimittereris a me vel per minimam displicentiam.

§. 240. *Viso terra motu & his qua fiebant timuerunt valde. v. 54.*

Cum viderunt tam milites quam Centurio tot miracula in caelo sursum & in terra deorsum, solis & lunae obscuraciones praeter ordinem pleno die, motum terrae, petrarum fragorem, timuerunt valde, ne forte a terra vel viui dehiscerentur, vel lapidibus obruerentur. Bene, Bene Posuit enim Deus tertorem, nobis in secundarium paedagogum quando Ienem Dei inspirationem detrectamus sequi. O quot homines ad frugem deduxit, salutaris timor!

Domine Iesu saepe video mirabilia in rerum natura prodigia & terribilia, tonitrua, tempestates, ventorum turbines, aquarum inundaciones, urbium euerisiones, tot bella & mutationes, mortes & insidias, merito igitur timeo te Domine bone Iesu, timore Sancto, sed & oro te timeant te omnes homines propter mirabilia tua.

§. 241. *Dicentes: Vere filius Dei erat iste. v. 54.*

Beati vos, qui post tot visa mirabilia, & terrores coacti tandem estis agnoscere verum Deum & Messiam, & confiteri cum alleueratione: *Vere filius Dei erat iste.* Sed & beati sunt qui simili modo exterriti, ad Dei agnitionem & confessionem pertingunt.

Vutinam & ego per timorem mihi incussum semper veniam ad confessionem, & confitear cum Centurione lingua & moribus, imò gratia Martyrij Dominum nostrum Iesum Christum.

§. 242. *Erant autem mulieres stantes a longe qua eum secuta fuerant. v. 55.*

Adducit hic Euangelista quasi testes huius tragœdiae & confessionis mulieres